

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Theologica universa - Ettenheim-Münster 108 - Tom. II

Cartier, Gallus

[S.l.], 1795

Caput primum

[urn:nbn:de:bsz:31-111018](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-111018)

Caput Primum.
De possibilitate Incarna-
tionis.

7
4.

Incarnationis Mysteriorum impossibi-
le visum est Gentilibus, quibus Coena Christi
Stultitia est; Judaeis; Saltem e modo, quo
peractum fuisse fides nos docet; quibus Scan-
dalum fuit; et Sorinianis, qui, quaeum-
que possunt, huic Mystero contradictionis
ac implicantiae argumenta euogitant et
opponunt. Contra quos ponitur

Conclusio.

5.

Possibile est, seu nullam internam
pugnam ac repugnantiam includit Mys-
terium Incarnationis.

Prob. 1^o ex ipsa ratione, qua usus
est Angelus Gabriel, cum Mysteriorum istud
beatae Virgini nuntiavit, c. i. S. Lucae
v. 37. Non erit impossibile apud Deum
omne verbum.

2^o Quod revera impletum
fuit, haud dubie possibile est. Atqui
impletum fuisse Mysteriorum Incarna-
tionis paulo post evidentissime demons-
traturi sumus. Ergo, p.

3^o Illud possibile dici debet,
quod nullam rationem implicat. Atqui Mys-
terium Incarnationis nullam rationem
implicat, prout patebit ex solutione
earum objectionum, quibus possibili-
tas illius oppugnatur. Ergo, p.

Solvuntur Objectiones.

6.

Ob. 1^o Illud implicat, ex quo sequi-
tur Deum fore mutabilem, mutabilitas
enim, ut in Tractatu nostro de Deo de-

8. monstravimus Deo essentialiter repugnat.
Atqui ex possibilitate Inarnationis
sequeretur Deum fore mutabilem: si
quidem posset de novo aliquid iterum
acquirere, videlicet humanam naturam,
quam antea non haberet. Ergo, p.

Resp. conc. maj. neg. min. et Dist.
ejus probationem: Siquidem posset de novo
aliquid acquirere per receptionem, id est
in se recipiendo novum aliquid, quemad-
modum manus, que ex calida fit frigi-
da, neg. per sui communicationem
conc. Deus, supposita Inarnationis
possibilitate, non posset acquirere natu-
ram humanam, per receptionem, hoc est
eam recipiendo in se tanquam in Subiecto,
sed posset eam acquirere per sui colatio-
nem, hoc est dando ei suum esse divi-
num. Igitur, quemadmodum Sol non
mutatur interius cum aërem huc pro-
fundit eam premendo, eo quod aërem, seu
lucem, non recipiat in se tanquam in Subiecto,
sed potius ei se quodammodo tradat: ita
neque Deus, supposita inarnatione, mu-
taretur, nec enim acquireret humanam
naturam, eam recipiendo in se, sed per
sue divine personae communicationem.

7. Insti.º quod acquirat novam na-
turam, et novam denominationem intrin-
secam, mutatur per receptionem, id est
in se novum aliquid recipit. Atqui Deus
per unionem sui cum humanitate acqui-
reret novam naturam et novam denomi-
nationem intrinsecam. Ergo, p.

Resp. Dist. maj. Quod acquirat
novam naturam p. per modum Subiecti, quod

ab illa natura p̄ perficiatur, mutatur p̄. 9.
coni. Per modum Suppositi vel termini in-
finitè perfecti, qui nullatenus ab eâ perfici-
ciatur, idud mutatur p̄. neg. maj. Deus
per Incarnationem non acquirit novam
naturam ut Subjectum, quod ab illa perfici-
ciatur, nam illam non recipit in se, nec
ab illa perficitur, cum sit infinitè perfec-
tus; sed solum naturam humanam ac-
quirit, ut Suppositum illam perficiens
ac complens, et ut terminus illius intrin-
secus. Similiter, in Suppositione Incar-
nationis, Deus novam Denominationem et formam
reciperet, sed non tanquam Subjectum, ve-
rum ipsa in sola humanâ naturâ recipere-
tur, cui Deus suum esse personale tri-
bueret. Sic Deus in tempore Denomina-
tus est creator, non quidem per formam,
quam ex rebus à se creatis de novo rece-
perit, sed per esse, seu per existentiam,
quam eis in tempore contulit.

Dices. Dici non potest, quid sit Ver-
bum esse terminum intrinsecum huma-
nitatis.

Resp. neg. Nam Verbum esse talem
terminum seu terminare intrinsecè hu-
manitatem, est Verbum ita uniri huma-
nitati, ut per illam unionem Verbum cons-
tituat cum humanitate unum per se
seu compositum substantiale, et ipsa hu-
manitas jam non in se sistat, sed sistat
in Verbo, per quod ultimo completur sub-
stantialiter.

Dices ulterius. Quomodo humani-
tas et unio humanitatis cum Verbo termi-
nari possunt ad Verbum absque eò, quod
illa unio recipiatur in Verbo tanquam
in Subjecto?

B. G. 9.

10.

Resp. 1.^o Sunt Philosophi, qui docent, unionem animae nostrae cum corpore non recipi in animâ, sed solum terminari ad animam; et tamen vi idius animam constituere intrinsicè cum corpore unum totum substantiale: Sic etiam humanitas et unio humanitatis cum Verbo terminari possunt ad Verbum, quamvis illa unio non recipiatur in Verbo tanquam in Subjecto.

Resp. 2.^o In hoc ineffabili Mystério, quod est singulare et excellentissimum Sapientiae ac omnipotentiae Divinae opus, nulla ratio, nulla similitudo in rebus creatis reperitur ad illud clarè explicandum. Unde illud S. Augustini, Ep. 3. Hic si ratio quaeritur, non erit mirabile: si exemplum positum, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.

8.

Inst. 2.^o Unio hypostatica seu personalis in Christo extrema aequaliter conjungit unionem intimam et internam. Ergo in utroque extremo aequaliter recipitur, unde fit, ut Deus sit homo, et homo Deus; adeoque si humanitas ex illâ unionem quam recipit internè mutatur, ita et divinitas.

Confirmatur exemplo corporis et animae, quae aequali nexu copulantur inter se ad unum hominem efficiendum, et mutationi aequaliter subjacent.

Resp. 1.^o conformiter ad id quod proximum diximus, unionem, proprie loquendo, in extremis, quae ununtur, non recipi: quia ut fere communior Philosopho-

phorum Sententia, ab extremis unitis re-¹¹
vera non distinguitur.

Resp. 2.º. Dato, quod unio sit aliquando
ab extremis unitis distinctum, dist. ant. Unio
hypostatica in Christo extrema aequaliter
conjungit, quantum ad intimam nexus fir-
mitatem, conu. Quantum ad modum
unionis, neg. Nam ex parte Verbi unio
indam divinitati affert aut detrahit
perfectionem; ex altera vero parte, hu-
manitas summam ac plane Divinam,
ex unione cum Verbo perfectionem parti-
cipat.

Unio illa autem intima et
intrinsicca dicitur, non isto quidem sensu
quod sit in ipsa Dei natura recepta, sed
quod non sit tantum moralis per affec-
tum et concordiam, qualis est inter ami-
cos; nec accidentalis, externa et per me-
ram assistentiam, qualis aliquando fuit
inter Angelos et corpora ab illis assumpta,
qualis est specialis Dei in Templo, in Sanc-
tis, p. presentia; sed quod sit physica,
substantialis et hypostatica; cuius bene-
ficio natura humana in unum idemque
suppositum cum Divina copulatur, at-
que mutua et reciproca sit proprietatum
utriusque nature Deum inter et homi-
nem Societas et communicatio.

Exemplum vero unionis corporis
et anime hic omni ex parte aptum et
accommodatum non est: corpus enim et
anima partes sunt incomplete hominis,
que mutua ad se se ex natura sua in-
clinationem habent, se se mutuo complent
ac perficiunt, unamque totalem et in-

12. tegram componunt hominis naturam: at
divinitas et humanitas in Christo non sunt
partes incompletae, neque naturalem ha-
bent ad se se invicem inlinationem, ne-
que ex illarum unione unica et totalis
exurgit natura, sed in una eademque per-
sona Christi duae naturae remanent in-
confuse ac impermixtae, et divina huma-
nam, non humana divinam perficit. Mi-
rum igitur non est, quod mutationis ali-
quid corpori et animae accedat, quando
inter se ununtur, ac se se mutuo perfici-
unt.

9. Inst. 3^o Qui incipit vere ac sub-
stantialiter homo esse, qualis antea non
erat, ille profecto novi aliquid in se recipit
ac proinde mutatur. Atqui Verbum in ple-
nitudine temporis vere ac substantialiter
incipit esse homo. Verbum caro factum est.
Joan. i. v. 14. Ergo, p.

Resp. dist. maj. Qui incipit vere ac
substantialiter homo esse, qualis antea non
erat, tanquam subjectum, quod in se vel
unionem, vel humanitatem, aut formam
aliquam recipiat, unde perficiatur, ille
novi aliquid recipit ac mutatur, conc. Qui
incipit vere ac substantialiter esse homo
tanquam terminus duntaxat, seu comple-
mentum humanitatis, quam ut persona per-
ficiat ac ultimo terminat. neg. maj. vide
dicta superius mem. 7. in Resp. ad Inst. 1^o.

10. Inst. 4^o Qui incipit esse quod
antea non erat, ille desinit esse, quod an-
tea erat, ac consequenter mutatur. Atqui
Deus incipit esse homo, qualis antea non
erat. Ergo desinit esse, quod erat, ac con-

Sequenter mutatur. Porro Deus non potest¹³
desinere esse, quod erat, nec mutari. Ergo im-
possibile est Incarnatio, quâ sibi et postea,
Deus desineret esse, quod erat, ac mutationi
foret obnoxius.

Resp. dist. maj. Qui incipit esse,
quod non erat antea, per sui in rem alteram
conversionem, ac novam cujuspiam formam
acquisitionem, idem desinit esse quod erat
antea, et mutatur, conc. Qui incipit esse
quod non erat, per solam terminationem,
qua naturam humanam complet ac perficit,
a qua mutatus ipse perficitur. neg.
maj. Cum Verbum caro factum est, non
conversa est divinitas in carnem, sed as-
sumpta duntaxat caro in unitatem per-
sonae cum verbo. Homo, ait S. Augustinus,
Ep. 137. alias B. ad Volus. c. 3. Deo quidem
accessit, non Deus à se recepit. Unus
est Christus, ait Symbolum Athanasianum,
non conversione divinitatis in carnem,
sed assumptione humanitatis in Deum,
unus omnino non confusione substantiae,
sed unitate personae. Neque etiam, ex
jam dictis, ulla verbo divino ex Incarna-
tione nova forma aut nova perfectio
accessit; nihil quippe novi accedere Deo
potest, qui omnia bona in se continet, à
quo in homines per quamdam participa-
tionem derivantur.

Inst. 5.^o Divinitas et humanitas, 11.
partes sunt unius et ejusdem suppositi, quod
Christum vocamus, et aequaliter ad illum com-
ponendum concurrunt. Ergo sicut una pars,
nempe humanitas, mutatur, ita et altera,
nempe divinitas.

14.

Resp. Dist. primum membrum
ant. Divinitas et humanitas sunt partes
ejusdem suppositi, quod Christus appellatur,
improprie admodum, conc. proprie neg.
Et neg. 2^{um} membrum, quod sibi et
equaliter ad idem componendum concurrant.
Non nisi improprie Divinitas et humani-
tas partes appellantur suppositi, quod
Christus est; partes enim seorsim sumpta
sunt incompleta, ac se se mutuo complent
et perficiunt. Sicut in Incarnatione sola
humanitas perfectior evadit, non Divini-
tas: falso igitur aseritur, utramque
naturam equaliter concurrere ad compo-
nendum Christi suppositum: Verbum enim,
ut persona divina complet ac perficit hu-
manitatem in ratione persona, humanitas
vero completur ac perficitur; unde, ut dic-
tum, non nisi improprie partes appellari pos-
sunt; atque tota mutatio cadit in natu-
ram humanam, qua perficitur, ac ultimo
completur et terminatur, non vero in
Verbum ipsum, quod perficit, complet et
ultimo terminat humanitatem.

12.

Inst. 6.^o Si Divinitas et humani-
tas dicenda non sunt proprie partes compo-
nentes Christum, sequitur, Christum esse
quoddam aggregatum per accidens, utpote
qui constat ex duabus integris naturis, nam
aggregatum per accidens est, quod ex plu-
ribus entibus integris coalescit. Sequela
est absurda. Ergo, p.

Resp. neg. seq. maj. Aggregatum
quippe per accidens idem dicimus, quod cons-
tat ex pluribus entibus integris, non tantum
in ratione nature, sed etiam in ratione
suppositi, seu individualitatis, prout do-

num, lapidum molem, p^{er} vocamus aggrega¹⁵
tum per accidens. Porro licet duae naturae
in Christo perfectae et integrae sint in ratione
naturae, non sunt tamen duae supposita, non
duae personae, sed una, eaque divina, quae
locum et vices humanae personalitatis abun-
de supplet ac compensat.

Inst. 7. Quod per se subsistit non 13.
potest alteri communicari, Subsistentia
enim est ultimum Substantia complemen-
tum. Atqui Verbum Divinum, utpote per-
sona Divina per se subsistit. Ergo non po-
tuit naturae humanae eam assumendo com-
municari.

Resp. neg. maj. Natura Divina
per se subsistit in Patre Divino, et tamen
eadem prorsus natura seu Substantia di-
vina Filio communicatur, non commu-
nicata ipsi personalitate seu Subsistentia
Patris.

Dices. Naturae Divinae et Subsisten-
tia Divina non distinguuntur. Ergo una
communicata, altera quoque communi-
cari debet, consequenter non potest fieri
unio in Subsistentia Verbi, quin simul fiat
in natura Verbi. Atqui unio in natura
fieri non potest, alias ex unione una fie-
ret natura per conversionem unius in al-
teram, quod certe implicat ac repugnat.

Resp. Dist. ant. Natura et Subsisten-
tia Divina non distinguuntur realiter,
conne. Virtualiter, neg. ant. Ex dictis
in Tractatu nostro de Deo part. 2^a de Myste-
rio SS. Trinitatis, Sufficit distinctio virtua-
lis inter essentiam et Subsistentiam, ut
Pater Divinus e.g. Filio suam communitet
naturam, non communicata sua paterni-
tate, seu personali Subsistentia, eadem

13. ergo hūc etiam virtualis distinctio sufficit,
ut Verbum Divinum naturam humanam
terminet per Subsistentiam suam seu perso-
nalitatem, non verò per suam naturam,
quam communem habet cum Patre et Spi-
ritu Sancto.

Unde etiam sic distinguere potest
major propositio objectionis. Quod per se
subsistit, non potest alteri communicari
tandem supposito; cone. Subsistentia enim
est ultimum naturæ complementum red-
dens eam alteri incommunicabilem tam-
quam supposito, prout jam in Metaphysi-
cā nostrā, part. i. c. 3. annotavimus. Non
potest alteri communicari ut natura, neg.
maj. Verbum Divinum non personam,
sed naturam duntaxat humanam sibi co-
pulavit in unitatem personæ.

14. Inst. 8^o. Ex unione naturæ Divinæ
et humanæ in unā Verbi personā istud sal-
tem consequens foret, Verbum Divinum
nempe localiter moveri ad motum huma-
nitatis, cum qua nexu tam intimo copula-
tur. Atqui hoc repugnat. Ergo.

Resp. neg. seq. maj. Quia Verbum ex
sua immensitate ubique est, tametsi hu-
manitas illi unita ubique non sit, sed tan-
tum ubi illi intime est præsens.

15. Ob. 2^o. Si Verbum incarnaretur,
Pater quoque et Spiritus Sanctus incarnati
dicendi forent, 1^o quia unam habent et in-
divisam naturam et essentiam: 2^o quia
juxta commune effatum, opera Trinita-
tis ad extra sunt indivisa, et ad tres perso-
nas pertinent. Atqui Incarnatio est opus
ad extra. Ergo, p.

Resp. Dist. maj. Si unio, in qua po-
sita est Incarnatio, facta sit in naturā di-
vinā, in qua tres personæ sunt quid unum,

17.
cone. Si facta sit in personâ, quâ parte sunt
distincta, atque inter se se mutuo opponun-
tur, neg. maj. Ex dictis jam, unio facta
est non in naturâ sed in personâ Verbi, qua
naturam humanam perficit, ac ultimo ter-
minat. Hinc patet responsio ad i. numm.
Ad 2. d. d. Dist. Incarnatio quatenus est
natura humana creatio, conservatio, p. est
à tota Trinitate, cone. Quatenus est for-
malis unio cum aliquâ personâ, neg. In-
carnatio in his, quæ externa sunt, et cau-
sam efficientem postulant, est à tribus per-
sonis divinis efficienter; sed formaliter
est solius Verbi, quia Verbum solum na-
turam humanam per suam propriam
Subsistentiam complet ac terminat,
eam sibi hypostaticâ unione conjungen-
do.

Ob. 3.º. Humana natura in Chris- 18.
tò suâ propriâ spoliatur Subsistentiâ
seu personalitate, alias non una, sed
duæ forent in Christo personæ. Atqui
fieri non potest, ut humana natura
suâ propriâ Subsistentiâ spolietur. Ergo.
Prob. min. 1.º. Quia Subsistentia non dis-
tinguitur ab ipsâ Substantiâ; ergo ubi est
Substantia, ibi est et Subsistentia. 2.º.
Quia persona definitur à Theologis post
Boetium, Natura rationalis individua
Substantia. Ergo ubi est individua
natura rationalis Substantia, ibi est
vera persona. Atqui in Christo, suppo-
sitâ Incarnatione, inest natura ra-
tionalis individua seu singularis Subs-
tantia, humanitas scilicet. Ergo in
Christo est persona humana, quod ta-

18. men fides non patitur. 3^o Subsisten-
tia nihil aliud esse intelligitur, quam for-
ma seu modus, quo Substantia per se
subsistere dicitur, nec alio indigere, cui
inhereat. Atqui revera talis est in
Christo natura humana, qua per se sub-
sistit, nec alteri inhaeret ad modum ac-
cidentium. Ergo est in Christo huma-
na Subsistentia.

Resp. neg. min. Natura enim
qua cum persona longe nobiliori ac in-
finita intimè copulatur, ut fiat pars
totius ac perfectissimi cuiusdam com-
positi, sua propria personalitate seu
subsistentia solari potest, et quidem
absque ullo sui damno ac detrimento;
imò potius cum magna infinita per-
fectionis aueptione.

Ad imam illius probationem, jam
supra, et in Trattatu De Deo, observavimus Sub-
sistentiam ab essentia seu natura virtua-
liter distinguere: siquidem una est in tribus per-
sonis natura, tres vero sunt Subsistentiae, at-
que Filio v.g. tota communicatur Patris
natura, non Subsistentia. Distingui
igitur potest hæc propositio: Subsistentia
non distinguitur a Substantia seu natura,
tanquam res a re, conc. tanquam modus qui-
dam, naturam ultimo terminans, ac red-
dens incommunicabilem alteri tanquam
supposito, neg. Res aliqua integra subsis-
tere potest absque suo certo modo, dicitur
e.g. sine inflexione; maxime cum modus
ille nobiliori ac excellentiori ratione a per-
sona superiori et infinita suppletur, ut
fit in mysterio Incarnationis.

Ad 2^{am} Resp. cum S. Thoma, i.p. q. 30.
a. i ad i. nomine Substantia in Definitione

personae non ipsam naturam, sed subsistentiam¹⁹.
am intelligi, prout jam in Metaphysicâ nos-
trâ loc. cit. animadvertimus, quod satis
apertè declaratur, cum dicitur individua.

Nomen itaque persona totum aliquod
completum significat, quod sui juris est,
non alieni, alteri tanquam supposito in-
communicabile; unde natura, licet sin-
gularis, qua pars est alicujus totius com-
positi, persona non dicitur, v.g. anima
rationalis etiam separata, non dicitur
persona, quia pars est dumtaxat hominis,
non totus homo. Cum ergo natura humana,
quam Verbum Divinum in unitatem suppo-
siti sibi assumpsit, pars sit dumtaxat com-
positi, nempe Christi, non verò totum
aliquod, nec sui juris sed alieni, scilicet
Verbi, consequenter suam propriam non
retinet personalitatem seu subsisten-
tiam. Non tamen inde sequitur, Ver-
bum in Christo etiam esse partem Christi dum-
taxat, qui constat duplici naturâ, divinâ
scilicet et humanâ, adeoque non esse veram
personam. Equidem Christus dici potest
compositum quoddam ex duabus naturis,
divinâ et humanâ, sed quae unum habent
Verbi suppositum seu personam, adeoque
Verbum in Christo est vera persona, Chris-
tus enim non est nisi Verbum Dei caro fac-
tum, proinde non est pars, sed totum,
quod duplicem in Christo habet et conjun-
git naturam.

Ad 3^{ti}am Mera est equivocatio
nominis, nam si per se subsistere idem
sit, ac alteri non inherere per modum
accidentis, concedimus hoc sensu naturam
humanam in Christo per se subsistentem

20. esse. Si vero per se subsistere significet naturam completam ultimo terminatam, qua totum quoddam est, quod personam appellamus, hoc sensu natura humana in Christo per se non subsistit, sed subsistentia aliena, nempe Verbi Divini; nec totum quoddam est, sed pars totus compositi.

17. Inst. 1.^o Esse aliquod totum completum ac sui juris, est quaedam perfectio. Atqui supposita Verbi Incarnatione, natura humana Christi hac perfectione caret. Ergo integra et perfecta non esset, et consequenter Christus verus ac perfectus homo non esset, quod certe pugnat cum doctrina catholica.

Resp. Dist. maj. Esse aliquod totum completum ac sui juris est perfectio quaedam, qua per Subsistentiam seu Verbi personam abunde et modo longe nobiliori suppleri potest, ac revera suppletur, cone. qua non suppletur. neg. maj. Per Subsistentiam seu personam Verbi personalitas assumpta humanitatis longe nobiliori modo suppletur ac perficitur, quandoquidem per illam cum Verbo hypostaticam unionem natura humana ad dignitatem Divinae naturae personaliter exaltatur ac sublimatur, per quam homo Deus fit, atque humana natura personaliter venit in societatem et communionem omnium Divinarum perfectionum. Natura igitur humana in Christo est quidem perfecta ac integra integritate naturae, licet non integritate personae humanae, ut pote qua pars

21.
sit totius compositi nempe Christi; non
verò totum aliquod completum comple-
mento sua propria Subsistentia, nec idcir-
cò imperfecta dici potest; imò est longè
perfectior.

Inst. 2.^o Natura humana in Chris- 18.
tò est perfecta. Ergo non videtur cur non
etiam sit aliquod totum completum, sicut
verbum ipsum.

Resp. neg. cons. Ratio Discriminis
est, quia Verbum est Deus, qui suam per-
fectionem seu Subsistentiam humanita-
ti, non suam humanitas Verbo commu-
nicat. Inapropter Divina et humana
natura, ex quarum unione coalescit Chris-
tus, partes Christi aliquatenus dici pos-
sunt, Verbum autem totum est com-
pletum, utramque naturam nexu in-
timò ac personali in Christo conjungens.

Inst. 3.^o Supposita unione per- 19.
sonali naturæ humane cum Verbo, eo ipso
natura humana omnes Verbi propria-
tes participat, immensitatem, infinita-
tem, omnipotentiam, &c. adeoque natu-
ra humana immensa dici posset, infi-
nita, omnipotens, &c. atqui id falsum
est et absurdum. Ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Omnes proprie-
tates Verbi participaret, in concreto, ut
ajunt, et ratione unius et ejusdem sup-
positi, cone. In abstractò, neg. maj.
Remanent enim in Christo impermixta
ac inconfusa naturæ utriusque proprie-
tates, quæ de se invicem in abstractò
predicari non possunt; unde dici non
potest, quòd Divinitas sit humanitas,

22. aut humanitas sit immensa, infinita, omnipotens, tametsi in concreto et ratione unius et ejusdem Suppositi Christi, merito dicatur, Deus est homo, homo est Deus; Deus est mortalis, homo est immortalis, immensus, infinitus, p. prout inferius fusiùs dicemus, ubi de communicatione idiomatum.

20. Inst. 4^o. Verbum hominem assumpsisse dicitur. atqui homo est persona. Ergo, p.

Resp. Dist. maj. dicitur assumpsisse hominem, id est, humanitatem, concretum pro abstracto usurpando, conc. Id est humanitatem in se ac per se subsistentem, seu hominis personam. neg. maj.

21. Ob. 4^o. Non magis potest humana Christi natura subsistere Subsistentiâ alienâ, quam existere existentiâ alienâ, aut intelligere intelligentiâ alienâ. atqui. Ergo.

Resp. neg. maj. et paritatem. Nam 1^o Cum existentiâ sit illud, per quod res simpliciter est extra nihil, intelligi non potest, quomodo res aliqua sit extra nihil, seu existat existentiâ alienâ: at propria Subsistentiâ non est forma, per quam simpliciter ac necessario natura singularis fiat persona, seu natura ultimò terminata et completa, quia natura potest cavere propriâ Subsistentiâ illâ, quando in unitatem Suppositi Divini assumitur, à quo completur, et modo excellentiori perficitur, prout fit in presenti mysterio.

2^o. Intellectio est actio vitalis, ^{23.}
qua necessario profluere debet à principio
proprio et interno vitaliter agente, unde
fieri non potest, ut quis intelligat alienam
intellectionem: At Subsistentia nihil
vitale sonat, sed merus est natura ter-
minus ac complementum, quod potest
suppleri per alienam Subsistentiam.

Ob. 5^{to} Repugnat Incarna- ^{21.}
tio ex parte unionis utriusque natura
quia proportio quaedam esse debet in-
ter extrema, quae ununtur. Atqui
nulla est proportio inter Divinam et
humanam naturam, quae tantò à se
invicem distant intervallò; nulla enim
esse potest finiti ad infinitum proportio.
Ergo.

Confirmatur. accidens nunquam
uniri potest cum Substantià ad totum
aliquid per se seu Substantiale effi-
ciendum, quia nempe nulla est propor-
tio inter accidens et Substantiam. Ergo
etiam à pari, quia nulla est inter Di-
vinam et humanam naturam pro-
portio, neque uniri inter se possunt.

Resp. ad Ob. neg. maj. et Dist.
ejus causalem. Debet esse quaedam pro-
portio inter extrema, quae unienda
sunt, in ratione unionis et habitudi-
nis, ut vulgò dicunt, cone. in ratio-
ne entitatis, neg. Alias nec anima
unquam posset cum corpore uniri, nulla
enim proportio est inter Spiritum
et materiam; nec mens humana
Deum intuitivè videret. Est ta-

24. *men* inter ea proportio quaedam habitudinis
et in ratione unionis, quia anima pars est
hominis, et ad illud componendam tota
inclinatur: pariter mens humana quam-
dam habet cum Deo intuitivè videndo
inchoatam proportionem habitudinis,
qualis occurrit inter facultatem cognosci-
tivam, et objectum, quod cognosci potest;
qua tamen facultas ac proportio Superio-
ri lumine corroborari ac elevari debet,
prout in Tractatu nostro De Deo, ubi De vi-
sione Dei egimus, à nobis annotatum
fuit, ut in objectum Supernaturale
tendere possit. Bona est si nulla sit
quoad entitatem proportio inter finitum
et infinitum; immensum ac loco circum-
scriptum, est tamen proportio quoad uni-
onem, quia est in Verbo virtus infinita,
qua potest terminare ac ultimo comple-
re naturam humanam in ratione per-
sonae.

Ad Confirmationem. neg. cons.
Exemplum quippe accidentis hui non ur-
get: nulla enim, nequidem inchoata et
habitudinis proportio est inter accidentis
et substantiam ad aliquod totum sub-
stantiale ac per se efficiendum, quia to-
tum per se constat ex ente per se sub-
sistente, totum vero accidentale inha-
rens est, nec per se subsistit.

22. *Ob. 6^{to}* Ex unione utriusque
naturae in Christo multa sequuntur
absurda et incommoda. 1^o Sequitur
unum et idem suppositum simul im-
mensum esse et non immensum, mor-
tale et immortale, finitum et infini-
tum, Deus et homo. 2^o Ex illa

unione sequitur proprietatum utrius-²⁵
que natura reciproca communio et praed-
icatio, et ita verè dici posset, Divinitas
nasitur, patitur, moritur, humanitas
aeterna est, impassibilis, &c. 3^o Na-
tura humana, quae Verbi Subsistentia
seu personalitate subsistit, ubique esse
deberet, sicut ubique Verbum est. atqui
tamen falsa est ista consequentia. Ergo, &c.

Resp. neg. ant. ad 1^{um} Non
repugnat de uno et eodem supposito
quod ex duplici natura coalescit, diversa
et contraria praedicata enuntiarì pro diver-
so ad alterutram naturam respectu; sic
de eodem homine dicimus, cum ratiocina-
ri et non ratiocinari, spirituales esse ac
corporeum, mortalem et immortalem, prop-
ter diversas animae et corporis eius affectio-
nes seu proprietates. Ita etiam, servata
proportione, de uno et eodem supposito
Christo, propter diversas, quibus constat, na-
turas, diversa et contraria enuntiamus.

Ad 2^{um} Idem. Ita reciproca proprie-
tatum utriusque natura communica-
tio, in abstracto non fit sed in concreto
ratione unius et ejusdem suppositi;
unde neg. sequel.

Ad 3^{um} neg. Cum, prout
jam dicimus, natura humana ubique
seu in omni loco non terminetur à sub-
sistentia Verbi, sed in certo quodam ac
determinato spatio, ubique diffusa non
est. E contra, cum Verbi Subsistentia
ubique sit, ac Divinitatem ubique ter-
minet, ubique etiam Verbum per im-
mensitatem suam diffunditur: ubi-

22. *U*ique ergo est humanitas Christi, ibi
Verbum est; sed non vice versa ubique
est Verbum, ibi etiam est humanitas.

23. *Ob. 7^o* Non magis ex unione
utriusque naturæ in Christo, Christus
dici potest mortalis, finitus, p, quam
peccator. Atqui. Ergo.

Resp. neg. maj. et paritatem
Disparitas est, quod peccatum non sit
naturalis hominis proprietas, sed defec-
tus moralis; Christus autem assumpsit
quidem defectus nostros ~~sed~~ natu-
rales, qui ad opus redemptionis nostræ
consummandum erant necessarij, quales
perfecto non fuere defectus morales, quos
omnes à Christo excludit tanquam impossi-
biles substantialis ejus sanctitas. In ipso
enim inhabitat omnis plenitudo divi-
nitatis corporaliter. Coloss. 2. v. 9.

24. *Ob. 8^o* Si Incarnatio esset
possibilis Deus coniperetur in potentia
ad unionem cum humana natura: si-
quidem mysterium Incarnationis in
eâ unione est positum. Atqui Deus
conipi non potest in potentia ad unionem
cum humana natura: cum enim Deus
sit actus purus, in eo nulla potest conipi
potentia. Ergo, p.

Resp. Dist. maj. Deus conipe-
retur in potentia p activa, conc. in
potentia passiva, neg. maj. Potentia
passiva repugnat actui puro, quia sup-
ponit Subiectum non esse infinitè per-
fectum, supponit enim illud non habe-
re perfectionem, ad quam est in poten-

tria; è contra ~~posteriori~~ potentia activa ^{27.}
arguit perfectionem, quia dicit infini-
tam virtutem aut ratione causa effi-
cientis, respectu effectuum, quos potest
operari, aut respectu terminorum; quorum
vices supplere potest.

Ob. 9.^o quod superat humana ^{25.}
mentis captum, non est possibile. atqui
Incarnatio cum revera superat. Ergo est
impossibilis.

Resp. neg. maj. Ipsa ratione
docemur, Deum, cum sit infinita virtutis,
multo plura posse, quam qua mens crea-
ta, utpote finita, comprehendere valeat,
prout sup. pag. 10. in Resp. ad Dices ulterius
ex Augustino ostendimus.

Caput Secundum.

De existentia Incarnatio- nis.

20.

Gentiles inficiantur revera pec-
atum esse Incarnationis mysterium: Id
quoque negant Judaei, nimium contem-
dunt, Messiam in lege promissum, non-
dum venisse; utriusque disparibus armis
Rebellandi: Gentiles in omnibus gene-
rationum momentis, quibus Christiana Re-
ligionis veritas et evidentia haderi ac
demonstrari potest: Judaei vero pro-
phetiarum, quas admittunt, exitu
tam noto tamque omnibus probato.
Tria ergo praesenti Capite inquirimus,
1.^o Utrum Incarnationis existentia
possit contra gentiles demonstrari. 2.^o
An contra Judaeos. Et 3.^o Denique an
debito tempore peracta fuerit.
Duae tribus paragraphis expendi-
mus.